

## TITULUS XII.

DE HOMICIDIO VOLUNTARIO VEL CASUALI. <sup>a</sup>

79. *Nota I.* Homicidium definiri: Violenta exanimatio hominis dolo malo ab homine facta. Dicitur:—I. *Dolo malo*, quia ad homicidium, ut est delictum, semper requiritur malitiosa voluntas; alioquin homicidium ab ignorante factum non est crimen homicidii, sed simplex ablatio vitæ, licet et hoc consueverit dici homicidium.—II. *Ab homine*; nam si homo occidatur à bruto, non est homicidium, sed pauperies (*tit. Inst. et ff. si quadrupes paup. fec.*), et multò minùs homicidium est, si homo occidatur, v. g. à fulmine, à tegula casu ex tecto cadente etc. Sub genere homicidii continentur variæ illius species seu modi, ut parricidium, expositio infantum, duella, torneamenta, sagittarum projectio etc.: item assassinium, latrocinium, veneni propinatio, abortus.

*Nota II.* Homicidium ex præsentis rubricæ dividi:—1.º In voluntarium, et casuale. *Voluntarium* est, quod fit cum intentione occidendi, vel *directè et in se*, ut si gladio Bertam ferias animo occidendi illam; vel *indirectè et in causa*, ut si Bertam prægnantem graviter percutias, et inde sequatur mors fœtus animati. *Casuale* seu involuntarium est, quod fit sine ulla intentione directè vel indirectè occidendi, ut si projecta in lusu pila aliquem fortuito occidas.—2.º Voluntarium homicidium subdividitur in *justum*, quod fit auctoritate publica ad vindictam sceleris, vel auctoritate privata ad necessariam sui defensionem: et *injustum*, quod fit dolosè contra prohibitionem legis.—Casuale subdividitur in *merè casuale*, quod fit absque ulla culpa occidentis: et *culposum*, quod fit ex culpa saltè juridicâ, quatenùs circa aliquid non est debita diligentia adhibita.—Legistæ et alii communiter mediâtè dividunt homicidium in *necessarium*, quod fit ob necessariam sui tutelam: *dolosum*, quod fit cum prava voluntate occidendi: *culposum*, quod fit ex aliqua culpa ob non adhibitam cautelam, attamen sine animo occidendi: et *casuale*, quod fit ex casu omnino fortuito.—3.º Homicidium quoad modum, vel est *simplex*, quod fit sine prævia deliberatione; ut si ex subita ira alterum in rixa occidas: vel est *præmeditatum* seu de-

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Sexto, et Clem. h. t.—In Decreto Can. 11. et seqq. 15. q. 1. et 23. qu. 5. et 32. q. 2. et Can. 23. et seqq. de Pœnitent. d. 1.—In Trid. sess. 14. c. 7. et sess. 24. c. 6. de refor.—In Institut. §. 5. de publ. jud.—In Pandectis lib. 48. tit. 8.—In Codice lib. 9. tit. 16.

liberatum, quod fit ex intervallo, seu cum prævia intentione occidendi: et quidem, si nullam specialem qualitatem habet, vocatur *simplex præmeditatum*: si verò qualitatem adjectam habet, vocatur *qualificatum*; uti est homicidium ex insidiis proditorium sub specie amicitiae, veneficium, assassinium.

*Nota III.* Homicidio affinem esse mutilationem seu amputationem alicujus membri propriè talis, quod peculiarem functionem à ceteris distinctam in corpore humano habet: uti est oculus, auris, manus, pes, lingua, maxilla, mamilla fœminæ etc. An digitus, cartilago auriculæ vel nasi sit, nembrum propriè dictum, an verò tantum pars membri, dubium est inter DD., ob quod petendam esse dispensationem ad cautelam in irregularitate respondit Sac. Congr. 1687, die 13. Julii.

## §. I.

## De Homicidio voluntario, doloso et necessario.

80. Q. I. *An homicidium ex genere suo sit illicitum?*

R. Affirmativè; nam omni jure prohibetur: *naturali*, quia natura dictat homini non esse eripiendum maximum vitæ bonum: *divino* per præceptum *non occides: humano*, ut patet ex legibus omnium nationum. Est autem homicidium crimen atrox, horribile ac detestabile, quod Deus in primo homicida Caino severè punivit, et in aliis, ut passim Scriptura testatur. Porrò licet homicidium sit ab intrinseco malum, tamen materia illius non est ità mala, ut in nullis circumstantiis cohonestari possit, sicut materia mendacii, hæresis etc.; sed materia illius subduci potest à præcepto naturali, tunc scilicet, dum Deus expressè vel generaliter ex certis causis dat jus et potestatem in vitam hominis. Quo casu, cum occisio fiat jure, nullum est peccatum hominem occidere, ut docet S. D. 2. q. 64. a. 2., et communis opinio populorum contra hæresim Waldensium negantium homicidium esse posse licitum. Unde potissimus labor est Doctoribus inquirendi in causas, ex quibus homicidium possit esse licitum.

81. Q. II. *An, et ex quibus causis potestas publica occidere possit hominem?*

R. 1.º In republica datur potestas ex justa causa occidendi hominem: ità com. ex *jure naturali*, dictante resecanda esse membra noxia, ne totum corpus inficiatur: *divino*, Exod. 22. v. 18.: *Maleficos non patieris vivere*; et Rom. 13. v. 4., ubi Apostlus de Magistratu dicit: *Non sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit: humano*, ut patet ex integris ordinationibus criminalibus; ergò.—Nec obstant textus sacræ Scripturæ, quibus soli Deo attribuitur dominium vitæ et necis; nam intelliguntur de occisione injusta et sine

causa sufficienti: occisio autem, quæ fit auctoritate publica et cum justa causa, censetur fieri auctoritate Dei.

2.<sup>o</sup> Gravia delicta reipublicæ noxia, sunt justa causa occidendi malefactores auctoritate publica: ita com. ex juribus mox allegatis. Nam privatum bonum vitæ postponendum est publico bono reipublicæ, cui aliter melius provideri non potest, nisi ut malefactores puniantur amissione vitæ.

3.<sup>o</sup> Bellum justum, sive defensivum, sive offensivum, est causa efficiens, cur milites exponantur periculo mortis, et hostes injuste nocentes, occiduntur: ita com. praxis in sacris Litteris fundata. Nam omnia jura permittunt vim vi repellere, et injustos aggressores ac perturbatores reipublicæ suppressere. At innocentes in bello non sunt occidendi, ut infantes, pueri, fæminæ, peregrini, clerici, religiosi, rustici, nisi et isti militarent, vel per accidens et indirectè occiderentur. Hoste devicto et armis possitis, per se et regulariter nullus est occidendus, nisi aliquis ex hostibus atrox crimen morte dignum commisisset, vel aliter pax et securitas reipublicæ obtineri non posset; Reiff. et alii.

4.<sup>o</sup> Respublica non potest per se occidere innocentem, v. g. ex causa liberandæ patriæ, quia tyrannus certum exitium ei minatur, nisi innocens occidatur: ita com. cum S. D. 2. 2. q. 64. a. 6. conformiter Exod. 23. *Insontem et justum non occides*. Ratio est, quia respublica in tantum habet jus occidendi civem, in quantum iste per se et ratione sui nocivus est bono communi; sed innocens non est ita nocivus, nam vita justorum est conservativa et promotiva boni communis, ut ait S. D. l. cit.; nocendum verò patriæ imminens totum oritur ex malitia tyranni; ergò.

*Dices*: Josue c. 6. interfecit filios Israel omnes infantes et lactantes, qui utique erant innocentes, et Samaritæ occiderunt 70 filios Achab timore belli, quod eis Jehu minabatur (4. Reg. 10.)

R. Occisiones istæ factæ sunt auctoritate Dei, qui est dominus vitæ et necis; nam Josue id fuit imperatum: Samaritis verò Jehu revelavit voluntatem Dei volentis deleri omnem progeniem Achabi (2. Paralipom. 22.)

5.<sup>o</sup> Respublica in casu superiori probabilius non potest innocentem extradere tyranno poscenti illum ad certam mortem: ita multi. *Prob. I.* Respublica non potest occidere innocentem pro liberatione patriæ, ut antè dictum; sed extradendo illum tyranno ad certam mortem, moraliter occidit illum, sicut privatus illum tradens, cum directè et per se cooperetur peccato tyranni occidentis; ergò.—II. Ideo maximè respublica posset innocentem tradere tyranno, quia civis jure naturali et ex justitia legali tenetur ad conservationem patriæ, ut omninò in dato casu teneatur se offerre tyranno, et si recuset, tanquam jam nocens et contumax cogi possit, et morte puniri à reipublica; sed causa ista non est vera, nam licèt bona civis substant dominio alto reipublicæ, ut illo etiam invito, auferri possint pro salute patriæ,

attamen vita civis non substat dominio alto principis, seu reipublicæ: aliàs pro conservatione patriæ ipsa respublica posset vitam tollere civi innocenti, quod omninò falsum est; ergò. Instantiam habes in obviis exemplis: sic enim pro conservatione patriæ non licet tyranno tradere fæminam ad ea abutendum, sacros libros vel sacramenta ad eorum profanationem, Crucem vel Imaginem B. V. ad illam inhonorandam, sacerdotem ad sacrificandum more gentili etc.; ergò etiam nec licet innocentem tradere ad occidendum. Ex his solutum manet principale argumentum contrariæ sententiæ, quòd civis obligetur et à reipublica cogi possit ad se præsentandum tyranno, quia adversarii necdum obligationem istam et potestatem sufficienter probaverunt. Paritates hic afferri solitæ nihil evincunt, quia in his non relucet directa cooperatio ad necem tyranni, v. g. quod respublica milites exponere possit cum periculo vitæ, talem civem non tolerare, sed expellere, et ipse civis se offerre tyranno etc.

*Dices*: Judex Ecclesiasticus tradendo reum curiæ seculari, non cooperatur condemnationi ejus ad mortem, modò præmittat protestationem solitam; ergò neque respublica cooperatur peccato tyranni, quia non tradit innocentem hac intentione, quia illum tyrannus petit, sed intentione longè alia, scilicet conservandæ patriæ.

R. D. A. Non cooperatur reipsa, N. A. Non cooperatur fictione juris, C. A. Cooperatio ista est licita, et si præmittatur protestatio solita, fictione juris non censetur adesse cooperatio ad effectum irregularitatis, cum hæc impediri possit per positionem ejus, quod de jure requiritur.

6.<sup>o</sup> Respublica potest cuilibet de populo dare potestatem occidendi bannitum in locis, ubi bannus promulgatus est, dummodò sequentia concurrant: ut crimen sit certum, grave, et adhuc pendens in exitium reipublicæ, et ordinario modo puniri non possit; nam tali casu adest crimen dignum morte, et potestas occidendi: malum verò privatum, quod oritur ex malitia banniti, si is in statu peccati mortalis occidatur, per accidens se habet, et postponi debet bono communi reipublicæ. Quia verò requisita ista rarò concurrunt, ideo rarissimè licita erit occisio banniti per privatum facta; quia decreta reipublicæ, v. g. ad occidendos cingaros, fures et hujusmodi, plerumque sunt comminatoria, nisi aliud ex subjecta materia colligatur.

7.<sup>o</sup> Respublica non potest dare potestatem patri vel marito, ut filiam vel uxorem in adulterio deprehensam licitè occidat cum adultero: ita com. ex Canon. 6. *inter hæc* 33. q. 2., ubi prior Canon. 5. vel corrigitur, vel potiùs explicatur contra mundanas leges. Ratio est: I. quia talis occisio non est necessaria ad bonum reipublicæ; siquidem adulteri capi, accusari et per sententiam condemnari possunt.—II. Nec est conformis æquitati; quia iniquum est aliquem inauditum et incondemnatum occidi à privato, maximè cum non sit *singulis concedendum, quod per magistratum publicè potest expediri* (l. 136. ff. de R. J.)—III. Occisio ista maximè adversa est saluti æternæ, quia adulteri sine pœni-

tentia et sacramentis morerentur. Denique hoc modo daretur occasio plura homicidia perpetrandi ex sola suspicione adulterii.—His non obstat *l. 20. et 24., ff. ad L. Jul. de adult.*; nam leges istæ, si positivè approbant talem occisionem, iniquæ sunt et sublatae per jus Can.: si verò sunt permissivæ seu dissimulativæ pœnarum, quod pater, vel maritus non puniatur pœna *L. Corneliæ de Sicariis*, forsàn permissio ista cohonestari potest ex causa extirpandorum adulteriorum, et justus doloris, quem sentit pater vel maritus adulteros deprehendendo, sicut ob easdem causas excusatur ab excommunicatione Canonis clericum in adulterio cum filia vel uxore deprehensum percutiendo (*c. 3. de sent. excom.*)

82. Q. III. *An, et ex quibus causis possit aliquis occidere se ipsum?*

R. 1.º Regulariter loquendo, nemini licet occidere se ipsum: ita comm. ex præcepto: *non occides*. Ratio est, quia occisio sui adversatur naturali inclinationi, qua quælibet res appetit sui conservationem; *charitati*, qua quilibet debet se ipsum diligere; *justitiæ*, quia homo quoad vitam et membra est sub dominio divino, et consequenter occidendo se, lædit jus Dei, qui est dominus vitæ et necis, juxta illud *Deut. 32. Ego occidam et ego vivere faciam*: et quatenus homo est pars communitatis, occidendo se, facit injuriam communitati; ergò.—Excipe, nisi Deus jubeat occisionem sui ipsius, sicut aliquæ sanctæ mulieres ex impulsu Spiritus Sancti propter fidem et castitatem se ipsas occiderunt, ut Pelagia, Sopronia, Apollonia, et fortè etiam Razias, *2. Machab. 14. v. 37. et seqq.*, licèt *S. D. 2. 2. q. 64. n. 5. ad 5.* dicat, istam non fuisse veram fortitudinem. Interim hoc naturale præceptum se ipsum non occidendi, in circumstantiis gravissimis ignorari potest etiam à prudentibus, sicut Saul petiit se occidi ab Amaletica, Lucretia ob stuprum à Tarquini filio sibi illatum mortem sibi conscivit, et multi belli duces, ne victori subesse cogerentur, se ipsos interfecerunt amore patriæ, quin manifesti condemnentur peccati.

2.º Non licet ponere actionem certò sui ipsius interemptivam, licèt actio ista sit hosti nociva; nam hoc esset directè occidere se ipsum; siquidem causa actionis, qua quis certò interimitur, est etiam per se et directè causa sui interitus. Excipe, nisi actio ista eligatur per modum medii ultimi desperati ad evadendum certam mortem aliunde inferendam; quia tunc per actionem istam intenditur et quæritur generalis spes cum divina ope evadendi certam mortem.—Unde I. Non licet navim succendere, ne ista ad hostes perveniat, si ex incendio isto immineat tibi certa mors, nisi certò occidendus sis ab hoste, et per hoc incendium speres mortem effugere. Oppositum docent *Salmant. tr. 13. pr. 2. §. 3, ar. 4. n. 36.*—II. Non licet ex alta turri se præcipitare, trahendo seu præcipitando secum hostem, licèt exinde occisio hostis et certa victoria, vel magnum reipubl. bonum sequeretur; quia et hoc esset directè occidere se ipsum.—III. Econtrà si ab incendio certo consumendus sis, licèt pro ultimo medio evadendi mortem eligis præcipationem ex alta turri; quia tunc non intendis occidere te ip-

sum, sed præcisè committis te periculo mortis ad certam mortem evadendam: sic de aliis casibus similibus discurrendum.

*Dices*: Samson, concussis columnis, ut occideret Philistæos, se ipsum eadem ruina domus interfecit (*Judic. 16. v. 30.*), et Eleazarus attemptavit occidere elephantem, à quo certa mors ei imminabat (*1. Machab. 6. v. 43.*)

R. Samsonis factum à S. Agustino reduci ad instictum S. Spiritus, qui latenter hoc jusserat (*S. D. 2. 2. q. 64. ar. 5. ad 3.*) Eleazar non prævidit certam mortem, sed magnum periculum, cui ad liberandum populum se exponere licet.

3.º Exponere se periculo mortis ob gravem causam est omninò licitum, maximè si conjunctum sit virtutis exercitium, sive positivè aliquid agendo, sive negativè aliquid omittendo, ex quo indirectè mors sequitur; nam tali casu non occidit quis se ipsum, sed mortem patitur. Unde licèt miles pugnat et in sua statione permanet, parochus sacramenta pestiferis ministrat, civis pro salute patriæ se ad necem offert, christianus pro palma martyrii non se defendit, naufragans alteri naufraganti, præsertim duci vel parenti aut amico tabulam cedit etc. Vide cit. *Salm., Less, et alios*. An condemnatus ad nihil comedendum vel ad venenum sumendum, licèt possit se conformare sententiæ judicis, dubitant DD.: ad utrumque S. D. respondet negativè *2. 2. q. 69. ar. 4. ad 2*, quia contra naturam est, ut quis sententiam mortis in se exequatur, cum condemnati sit pati, non verò mortem sibi inferre.

83. Q. IV. *An, et ex quibus causis liceat privato suum proximum occidere?*

R. 1.º Regulariter nemo privatus licèt occidere potest suum proximum etiam delinquentem; nam punitio, cum sit tantum publicæ potestatis, hinc potestas occidendi proprium servum vel filium, tanquam barbara et juri naturali contraria, olim à dominis et patribus-familias usurpata, meritò sublata est *§. 2. In. de his, qui sui, et tit. C. de emendat. propinq. et tit. de emendat. seroor.*

2.º Injustum aggressorem vitæ licet occidere, servato moderamine inculpatæ tutelæ (*S. D. 2. 2. q. 64. ar. 7.*); nam defensio vitæ cuilibet à natura est permissa; *l. 3. ff. de J. et J. ibi: Quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse existimatur*; sed occisio injusti aggressoris est species defensionis recto ordini charitatis conformata, cum charitas dicet suam potiùs, quàm alienam vitam servari, si utraque servari non possit; ergò. Unde talis occisor nulli pœnæ substat (*l. 2. et seqq. C. ad L. Corn. de Sicar. Clem. un. h. t.*) Porrò, quia occisio hominis est de genere prohibitorum, in foro externo præsumitur malè facta, donec probetur qualitas necessariæ defensionis, et moderamen inculpatæ tutelæ, scilicet, quòd occisus fuerit injustus aggressor, quòd defensio fuerit proportionata offensionis, et in continenti facta, ita ut invasus leviori modo se defendere non potuerit.

3.º In gratiam proximi innocentis licet ex communi sententia ini-

quum ejus aggressorem occidere, præsertim si justitia aut pietas talem defensionem exigat, ut patris, principis, dummodò servetur moderamem inculpatæ tutelæ; *Can. 5. et seqq. 23. q. 3. ubi Can. 7. dicitur: Qui non repellit à socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit*, ubi etiam affertur exemplum de Moysè occidente Ægyptium propter defensionem Hebræi. Ratio est, quia recta charitas dicitur, ut proximum innocentem liberemus ab injusto aggressore, sicut nosmetipsos.

4.<sup>o</sup> Licita est occisio furis, si is aggressor sit non tantum bonorum, sed et vitæ, cum moderamine semper inculpatæ tutelæ; nam tali casu est defensio mixta pro conservanda vita et bonis; ergò est licita. Porro si fur nocturnus est, et absque periculo capi aut expelli nequit, licet eum occidere, quia noctu non facillè discernitur, an quis veniat ad furandum, an ad occidendum. At furem diurnum non licet occidere, nisi is telo seu armis se defendat, atque ita fiat aggressor vitæ; *c. 3. h. t. l. 9. ff. ad L. Cornel. de Sicar., l. 4. ff. ad L. Aquil. conformiter Exod. c. 22. vers. 2. et 3.*, ubi sermo est de fure nocturno et diurno.

5.<sup>o</sup> Si fur rem parvi momenti auferat, non licet eum occidere pro defensione talis rei; nam res parvi momenti indigna est, ut propter illam vita homini tollatur. Unde Inn. XI. meritò damnavit hanc propositionem n. 31: *Regulariter occidere possum furem propter conservationem unius aurei*. Ex qua propositione sequitur materiam, quæ sufficit ad peccatum mortale furti, non sufficere ad licitam occisionem furis, sed requiri multò majorem. Quia verò dicitur *regulariter*, colligunt DD. aliquando etiam minorem quantitatem sufficere ad occisionem furis: ut si res ista est necessaria ad sustentationem vitæ, sicut instrumentum artificii, et alia similis haberi non potest: vel si eripiens rem parvam, arma expediat ad illam extorquendam, quia tunc simul est aggressor vitæ.

6.<sup>o</sup> Si res magni momenti auferantur, et aliter via juris non sint recuperabiles, pro illis conservandis sentiunt licere furem occidere, v. g. explodendo scelopum contra illum fugientem: ita Caj., Laym., Sylv. et alii multi contra Gloss. et Fagn. *c. 2. h. t.* Probant autem ex *c. 2. h. t.*, quo reprobat occisio furis, *ubi comprehendi poterat absque occisione*; ergò si fur res magni momenti auferens, comprehendi non potest, licitè occiditur pro recuperandis rebus istis, etsi fur clericus esset. Id ipsum apertè supponitur *c. 6. de senten. excom. in 6.*, et in jure civ. traditur *l. 9. ff. ad L. Corn. de Sicar., l. 3. §. 9. ff. de vi armat., l. 1. C. unde vi. Const. crim. Car. IV art. 150.* Ratio est, quia bona fortunæ sunt necessaria adminicula vitæ, tanquam alter hominis sanguis; ergò sicut ipsam vitam, ita quoque bona fortunæ magni momenti licet defendere occisivè, si via juris et judicii recuperari non possunt; alioquin si recuperari possunt, occisio furis, utpotè non necessaria esset illicita. Hoc tamen procederet de bonis actu possessis: non verò de bonis in spe, ut patet ex propos. 32. ab Inn. XI. damnata

*Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.*

*Dices:* I. Inter bona fortunæ et vitam proximi nulla est æqualitas. —II. Charitas dicitur, ut salutem et vitam proximi rebus nostris præferamus. —III. Jura defensionem occisivam permittunt tantum in casu mixto, dum vita et bona fortunæ defendenda sunt; *c. 2. h. t. ibi: Te, tuoque liberando, c. 10. et 18. eod., Clem. un. h. t., Can. 5. et 6. d. 50., Exod. 22. v. 2. et 3.*, et ideo permittitur occidi fur nocturnus et non diurnus, ut supra dictum.

R. *Ad I. D. A.* Æqualitas ad commutandum *C. A.* Ad defendendum, si utrumque servari nequeat, *N. A.* Secus argumentum nimis probaret, quod neque judex furem occidere possit. —*Ad II.* Respondent, quòd eadem charitas dicitur, ut prius nos et nostra defendamus; deinde succuramus proximo in morali necessitate constituto in hoc autem casu fur sibi imputet, quòd ex malitia sua se commiserit periculo vitæ et æternæ damnationis. —*Ad III. N. A.* In *cit. c. 2.* sensus est disjunctivus ex *l. sæpè ff. de V. S.*, vel ibi concurrat defensio mixta: *c. 10. et 18.* non fuit servatum moderamen inculpatæ tutelæ, ut legenti patet: *Clem. cit.* asserendo casum vitæ, non excludit casum nostrum. Sic etiam *Can. 38. d. 50.* occidens sarracenos ob defensionem libertatis, pronuntiatur immunis ab irregularitate. Quod dicitur de fure nocturno et diurno, fundatur in communi præsumptione facti: alioquin inspecta veritate, fur nocturnus occidi nequit, si aliter comprehendi possit; et diurnus occidi potest, si aliter res magni momenti per illum sublata recuperare nequeant.

7.<sup>o</sup> Injustum aggressorem pudicitiae, si foemina aliter repellere non potest, neque fugere, licitè occidit; nam virginitas est magnum bonum foeminae, quod semel amissum, non redit; ergò licet illud defendere occisivè. — Hæc quidem est multorum opinio, sed habet suos contrarios. "

8.<sup>o</sup> Injustum aggressorem famæ vel honoris non licet occidere, sive sit aggressor verbalis, v. g. minando aut effutiendo calumnias, sive realis, v. g. viro honorato infligens alapam: ita hodie certa sententia, et oppositam damnavit Inn. XI. n. 17. et 18.

Ratio est, quia occisio ista non est medium necessarium ad defensionem famæ, cum dentur alia juris remedia, ut actio injuriarum, ad palinodiam, retorsio verbalis. Neque est medium utile; siquidem occisio ista calumniam impactam non tollit, sed auget: ob futuram verò calumniam, quæ multis modis impediri potest, nullo modo licet occidere, cum ex sola suspitione et opinione probabili, præsertim circa futurum eventum, neque judex condemnare possit; ergò.

*Sed dices*, quid agendum, si realis aggressor honoris, fuste, baculo vel alio modo proximum suum vult inhonorare?

R. Si persona invadenda sine dedecore fugere potest, tenetur fugere, neque expectare poterit, et se occisivè defendere, uti plebeji,

clerici, religiosi et fœminæ, quibus fuga non est indecora, nisi timeant in fuga periculum vitæ; quatenus aggressor eos insequens, necem aut mutilationem illis inferre posset. At si persona sine dedecore fugere non potest, uti milites et viri nobiles laici, non tenetur fugere, sed arma armis, et instrumenta instrumentis opponere potest, non tamen occidere ob solum honorem. Si verò aggressor persistat, et periculum vitæ ab eo immineat, licet vim vi repellere incontinenti; et si alius modus levior non suppetat, etiam occisivè se defendere. Nam in hoc casu defensio occisiva non est præcisè propter honorem, sed propter vim in vitam et membra.

*Dices*:—I. Vitam et bona licet occisivè defendere; ergo et solam famam, quæ pari passu ambulat cum vita (*l. 8. §. 2. ff. quod met. caus. l. 9. ff. de manum. vind. Can. 38. d. 50.*), et contra naturam est famam suam negligere (*Can. 10. nolo. 12. q. 1. Can. 56. non sunt. 11. q. 3. 2*) Distinctio illa fugiendi cum vel sine ignominia, est ignota juri; nam qui aggressorem sine periculo declinare potest, fuga est illi honoratior, quàm occisio. Unde ab irregularitate non excusatur, nisi occidens aggressorem, quem aliter declinare non potuit (*Clem. un. h. t.*); ergò.

R. *Ad I. N. C.* Nam licet fama, sicut vita custodienda sit et non malis moribus maculanda, non tamen eodem modo defendenda: siquidem multa dantur juris remedia famæ recuperandæ, non verò vitæ ablatae.—*Ad II. N. A.* Nam personæ valdè honoratæ et generosæ nullo jure obligantur ad fugam; ergò persistendo, jure suo utuntur, quamvis in praxi id sit valdè periculosum, neque per hoc occidere intendunt, nisi aggressor vitam et membra eripere tentet. Qui modus, cum sit licitus, nullam irregularitatem inducit, neque censetur exclusus, sed potius comprehensus in *cit. Clem.*

9.º Non licet occidere falsum accusatorem, falsos testes et iniquos judices, à quibus certò imminet iniqua sententia, licet damnum alia vita non possit evitari. Oppositam propositionem n. 18. damnavit Alex. VII.; nam si sententia primò ferenda est, mera oritur suspicio de ejus iniquitate; quæ suspicio utique non sufficit ad homicidium: si verò jam lata est, adsunt ordinaria juris remedia ad illam corrigendam, ità ut occisio nullo modo sit necessaria. Præterea damnatio oppositæ sententiæ fundatur universali periculo damnorum, injuriarum et perturbationum reipublicæ; nam homines proprio amore et nativis passionibus excoecati, facilè conciperent suam innocentiam et aliorum contra se iniquitatem, lites homicidiis dirimerent, et neglecto judiciorum cursu, plurimas cædes perpetrarent cum ingenti reipublicæ detrimento.

*Dices*: Licet occisivè defendere bona fortunæ, in sensu citt. DD.; ergò à pari. R. *N. C.* Nam dum bona defenduntur, damnum est actu certum, et alius modus non superest bona recuperandi, quorum neutrum adest in nostro casu.

84. Q. V. *An liceat procurare abortum?*

R. 1.º Negativè, sive sit fœtus animatus, sive inanimatus; etsi

puella deprehensa gravida deberet infamari, vel occidi, etsi toti cõmunitati damnum aliquid exinde immineret: ità com. et oppositam propositionem n. 34. damnavit Innoc. XI. Nam procuratio abortus est intrinsecè mala et contra finem generationis et bonum speciei humanæ; ergò non est licita ob quamcumque causam extrinsecam, sicut nec pollutio. Si fœtus est inanimatus, non est propriè homicidium, sed crimen homicidio affine: si verò est animatus, est propriè homicidium, cum per abortum homo exanimetur. Ex com. sententia masculus animatur die 40., et fœmella die 80, quia natura prius generat id, quod est perfectius.

2.º Non licet matri ad salvandam vitam suam directè procurare abortum fœtus inanimati, seu sumere pharmacum directè et per se expulsivum fœtus: ità Salmant. cum cit. contra Sanch. etc. Nam directè expellere fœtum est intrinsecè malum, et peccatum mortale homicidio comparandum (*c. 5. h. t.*), sed coonestari non potest propter salvandam vitam matris; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; ergò.—II. Ideo maximè liceret ista expulsio fœtus, quia in hoc casu fœtus est iniquus aggressor vitæ matris, qualiter ob mala extrinseca, ut infamiam, vel mortem, fœtus non aggreditur matrem; sed in hoc casu fœtus non est iniquus aggressor matris: tum quia per se non petit mortem matris, sed solum petit conservari et nasci, ad quod jus à natura habet; neque per se dat causam occisivam matris, sed mors ejus per accidens sequitur ex indispositione proprii corporis; tum quia copia seminis humani non est iniquus aggressor hominis; et ideo non licet procurare mollitiem, etsi ex abundantia seminis mors timeatur; ergò.—III. Fœtum animatum non licet directè expellere ob vitam matris, ut adversarii fatentur; ergò neque inanimatum: siquidem animatus æquè, imò magis aggredi censetur matrem, quàm inanimatus. Hic tamen excipi videtur casus, quo fœtus est corruptus, quia non retinet naturam fœtus, sed transit in materiam putridam.

*Dices*: Licet resecare partem propter conservationem totius; sed fœtus est pars ventris (*l. 1. §. 1. ff. de inspic. ventr.*); ergò. R. Argumentum nimis probare etiam de fœtu animato. Fœtus dicitur portio matris, quod juxtà Seta. ante nativitatem peti non possit à patre: reipsa verò est homo vialis distinctus à matre, et serviens bono speciei humanæ, non autem bono individui materni, sicut aliæ partes propriè tales. Reliquæ paritates, quæ hic objici solent, solvuntur ex eo, quia ex eis plus non sequitur, nisi indirecta occisio aut expulsio.

3.º Mater periculoso morbo laborans, potest licitè sumere pharmacum directè et per se sui sanativum, licet per accidens timeatur senturus abortus fœtus, sive inanimati, sive animati, Sanch. Salm. cum citt.; nam mulier ante conceptionem habet jus sumendi pharmaca sanitati suæ conducentia, quod jus non amittit concepto fœtu, etsi per accidens timeatur abortus. Unde, sicut antea, uti potest balneo, incisione venæ, ventris purgatione etc. Resolutionem istam limitant aliqui DD. in casu, quo fœtus animatus, matre mortua, speratur